

Q. D. B. V.

I R I D E M

tribus Oratiunculis

Phyficè, Theologicè, Politicè

Considerandam

IN ILLUSTRIS AD SALAM
AUGUSTEO

ad d, XI. April. M D C L X X I I I.

intimat

M. CHRISTIANUS Weise /

Polit. Eloq. & Poef. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ

LITERIS VIDUÆ HILDEBRANDIANÆ

EXCUDEBAT JOH. BRÜHL.



Ommunis hinc inde qverela est, occupari sæpe Studiosorum animos disputationum physicarum prolixitate, unde tamen, si vana quædam jucunditas; nulla tamen ad vitam composita utilitas unquam proveniat. Posse enim non in Theologiâ modo, sed etiam in Jurisprudentiâ, summum conscendi apicem, si vel maximè physica hæc absit speculatio: Solos denique esse Medicos, qui, quoties supra empiricos velint sapere, alterum oculum ad ipsius naturæ penetralia reflectant. Interim quàm falsa hæc conqverentium sit opinio, & facillimè potest evinci, & ut hoc faciamus, præsentis argumenti conditio postulat. Primo enim, si concedendum omninò foret, neminem quæstionibus physicis esse imbuendum, nisi qui Medicinæ dedisset animum: Pauci profectò ab ejusdem tractatione possent excipi. Siquidem, quod de Theologiâ asseritur, omnes nos debere esse Theologos, si non professione, tamen confessione; ad Medicinam quoque applicari fas est: Omnes debere esse Medicos, si non publicos, qui ad omnes ægrotorū preces & invitationes sint parati, certè tamen privatos, qui corporis & familiæ curam possint gerere commodius. Et istud quidem *Jacobus Focanus Sylvaducensis* non ineptè in suâ de Studiis dissertatione p. m. 223. ad agnatum suum *Jodoc. Lodensteinium* perscripsit. Dum *Philosophiæ*, inquit, operam das, aliquid etiam

delibandum est ex Medicinâ, cuius facultatis tantum addetur, quantum tuendæ valetudini tuæ sat erit. Imo incomparabilis ille *Hugo Grotius*, cum anno 1615. *Benjamino Auberio Maurerio Gallici Regis ad foederatum Belgium Legato* Consilium juberetur exponere, quomodo inter tot negotiorum strepitus feliciter continuari ac consummari possent Studia, hoc simul monuit, non fusè quidem, sed tamen aliquo modo attingendam *Physicam*, vid. edit. *Conring. pag. 120. Caspar etiam Barlaeus* in præscriptâ Studiorum methodo ad *Serenisf. Principes Megapolitanos eorumque Ephorum p. m. 350. Naturalium rerum scientiâ imbui Principem, per quàm asserit necessarium.* Id quod exemplis Principum Regum & Imperatorum facile posset confirmari, quos à variis autoribus citatos tangit *Linneus Jur. Publ. l. 8. c. 4. n. 20. nisi nostris subinde oculis obversaretur memoria D. Annæ Mariæ, Serenissimi Nutritii nostri quondam Conjugis, quæ, ut in vulgato illius vitæ curriculo non sine gloriâ refertur, tantam rerum medicarum & notitiam habuit & felicitatem, ut multorum in medio langvore hæc fuerit expectatio, adesse paratum remedium, si saltem è manu Principissæ mitterentur pharmaca.*

Sed mittamus Medicinam, cum etiam, qui ejusdem Studio non trahitur, possit amare *Physicam*. Nimirum hæc disciplinarum speculativarum est conditio, ut sibi met sint pulcherrima merces, & etiam sine ulteriori fructu placeant: Præsertim hoc seculo, cuius in æstimandâ eruditione delicata hæc est ratio, ut neminem doctorum numero ascribat, nisi qui omnibus disciplinis qualitercunque sit tinctus. Ascribam verba *Casparis Scioppii*, quæ habet in *Consultationibus de Scholarum & Studiorum ratione editis 1636.* Cum enim prolixè

egisset de Studio physico, sic tandem p. m. 441. con-
cludit: *Gemmarum itemque Plantarum complurium genera ad
virtutes pernovisse, cum varias habet utilitates, tum homini,
cum Principibus ac Magnatibus versanti ad gratiam & Polyma-
thia, seu multiplici doctrinae opinionem suffragari solet.*

Neque etiam apparet, quomodo Theologus rerum
naturalium cognitione possit omnino destitui, si ipsa
natura aspectabilis ad invisibilem Creatorem melius
certiusque cognoscendum operam praestat non exi-
guam: Imò si perpendantur rationes, quas nervose
collegit *Ludovicus Crocius de ratione Studii Theologici Cap. 6.
num. 6.* Is enim Physicam eiq; annexam Medicinam
ideò Theologis ait necessariam 1. quia haec notitia facit
ad opificis venerationem 2. quia prodest ad scripturae intelligen-
tiam, in quantum in ea occurrunt loca de structurae humani corpo-
ris, de herbis, floribus, gemmis, animalibus & similibus. 3. Quia
sape accidit, ut Theologus practicus animarum curator, cogatur
invisere aegros, qui contagiosis morbis laborant, contra quos sese
& alios medicamentis hoc pacto munire potest, praesertim si desit
medicus. 4. Quia rei medicae peritus, inter medicamenta legiti-
ma & superstitiosa rectius discernere potest &c.

Progredior ulterius, & ad meam respicio professio-
nem, quae formandos in arte Oratoriâ Juvenes sibi ha-
bet recommendatos. Sicut enim haec ipsa facultas
omnium ordinum, ætatum ac dignitatũ conditionem
aut dirigit, aut non dedecet, nemoque tam est excelsus,
quoniam orationis vi aliquando indigeat: Sic etiam nega-
ri non potest, doctrinam physicam, quae ad inventio-
nes Allegoriarum, ac Emblematum quam maximè
conducit, & sine qua non exigua orationis pars lan-
guere videtur, ab Eloquentiae studio vix posse avelli.
Sanè similia & Emblemata nihil probant: Sed tamen
rem

rem alioquin obscuram mirificè illustrant. Præsertim si quæstiones, tum è Theologiâ, tum è doctrina civili petitas intuearis, quarum solutio solâ mente percipienda, imperitioribus magnum facessit negotium, nisi beneficio similitudinum è naturâ petitarum oculis subjiciantur. Id quod ab Autoribus hinc inde celeberrimis præstitum fuisse, pauci ignorant. Inter Theologos Pontificios habemus *Engelgravium, Hermannum, Hugonem* &c. inter Lutheranos *Saubertum, Dilherrum,* &c. inter Reformatos *Joseph Hallum,* ut taceam sexcentos alios. In Politicorum numero quid præstiterit *Camerarius, Zingrefius, Alciatus, Casius,* & qui primo debebat nominari *Savedra,* verbis persequi non est opus.

Quamobrem cum hætenus intra privatos parietes Oratoriam hanc Physicam satis prolixè pertractaverimus, operæ pretium est, publicum aliquod ejusdem laboris sistere documentum. Et quidem præ reliquis placuit infigne istud naturæ spectaculum, quod **IRIDEM** seu **ARCUM** solemus vocare, quippe quod ab augustis rebus, angustior speranda est tractatio. Primo autem prodibit in medium

DN. JACOBUS Ritter / Hallensis Saxo.

Is inquirat in ipsam Iridis naturam, quatenus in nube roscida & opaca beneficio radiorum solarium soleat generari: Si meteoris emphaticis tribuenda est generatio. Explicabit nubis naturam in ordine ad speculum, quod inter antiquos pulchrè affectus est *Seneca, Nat. Quæst. lib. 1. cap. 4. seqq.* ostendetque, sicut in sole, qui vitam non habet, est vis vivifica; sic in lumine, quod colorum est expers, esse potentiam producendi omnes colores. Afferet præterea non paucos naturæ lusus, ubi vel in vitro, vel in aqua, vel in avium plumis ali-

quam Iridis similitudinem deprehendimus. Cujus rei pulchrum miraculum adducitur à *Fournierio Geogr. lib. 9. cap. 19. p. m. 537.* Lacum Velinum situm in præcelso montium jugo, dum per excavatam in saxo viam præcipitat, fumum ex vehementi undarum concussione, ortum ad ipsas nubes emittere, ut ex subjecta valle sursum aspicientibus *Iris perpetua* appareat. Hujus orationem excipiet

DN. PAULUS Gottfried KLETSCHKIUS,
Crofnâ Silesius.

Qui de variâ rerum Theologicarum allegoriâ sollicitus, fundamenti quidem loco constituet clarissimum Dei effatum *Gen. 9. 13.* Iridem fore signum perpetuæ Gratiæ: Exinde tamen plures eliciet imagines. Ut enim Iris non nisi in nube roscidâ conspicitur: Sic Gratiâ Dei non nisi in lacrymis poenitentium. Sicut etiam nubes roscida nullum concipit splendorem, nisi ex adverso soli sit opposita: Ita quoque Gratiâ divinam non in omnibus lacrymis, sed iis saltem deprehendimus, quæ Solem Justitiæ Christum habeant è diametro oppositum. Porro Iris noctu non apparet (nam lunares arcus & rarò & sine amicabili colore contingunt) sic in obstinatâ peccatorum nocte gratiæ nullus est locus. Plura adderem, nisi invidiosum esset, Oratori futuro suam præripere materiam. Tertio tandem loco se ostendet

DN. JOHANNES Schumann/Kystriz. Misn.

Qui subjecturus imagines politicas, primò reflectet oculos ad symbolum satis Regium Catharinæ Medicæ, mulieris omninò haud laudandæ, hic tamen non vituperandæ. Ut enim *Strada in Hierograph. Reg. Gall. n. 36.* exhibet, pinxerat ea Iridem, addito lemmate FERRET

RET LUX ISTA QUIETEM. Nimirum id ab homine Politico requiritur, ut in omnibus actionibus ad Deum Iridis autorem se convertat, qui profecto solus & movendorum bellorum, & reparandæ quietis adeoque publicæ felicitatis ac calamitatis habet arbitrium. Secus ac docuit Macchiavellus, qui mirificos eventuum politicorum lusus, non Deo sed fortunæ potius ascripsit, nisi, quod *Conringius in notis ad ejus Principem cap. 25. p. 210.* auguratur, credidit, *Deum & fortunam unum idemque esse.* Noster igitur Orator cum *Cominæo Comment. lib. 6. p. m. 532.* fortunam habeat pro *figmento poëtico*, primumque prudentiæ fundamentum, ferendæque tranquillitatis principium collocabit in Deo. His prælibatis variè exercebit ingenii luxuriantis acumen. Sit enim Iris principum gratia: ea certè in qualibet nube non concipitur: neque etiam locum invenit, nisi per commodam occasionem Soli h. e. Principi fuerit opposita. Solus in Aula Catharinæ Medicæ non erat Gvifius, aut apud Mariam Medicæam Ancræus & postea Luy-næus, aut sub Anna Austriacâ Mazarinus, qui virtutes haberet Reginarum gratiâ dignas: Interim soli isti debito loco constituti Iridem in se conspicuam exhibuerunt. Neque hoc dissimulabitur, sicut sole cadente Iris fit altior, ascendente depressior; sic Principis gratiam in humilioribus quàm in superbis posse collocari facilius. Imo quoniam nubes ad referendam Iridem præparata, & aquæ debet esse proxima, & speculo simillima: ita pulchrum fore, si Politicus utrumque repræsentet. Speculum videlicet acceptam ab inspiciente imaginem pari modo reddit: Sic Politicus cum ridentibus rideat, cum plorantibus ploret. Aqua autem non continetur termino proprio, ut loquitur Aristoteles, sed

sed saltem alieno h. e. in poculo rotundo ipsa rotunda
est, in quadrato quadrata: Sic Politicus omnibus oc-
casionibus, omnibus statibus, omnibus personis appli-
cetur perspicacissimè. Tandem de coloribus aliquid
afferetur. Purpureus qui sanguinem refert, bellandi
prudentiam arguit: viridis sive cœruleus cum pacis si-
gnum habeat, eruditionem designat: Flavus sive lu-
cidus, quoniam proximè accedit ad aurum, pecuniæ
habet emblema. Jam quis nescit aut Arte aut Marte
accedendum esse ad fortunam politicam; utriusque
autem vinculum sive mixturam esse pecuniam, quæ
non modo apud Personas publicas, sed etiam apud
quemvis privatum rectè appellatur nervus rerum ge-
rendarum.

His verò omnibus calidissima adhibebuntur vota,
velit Deus Opt. Max. tum Ecclesiæ tum Reip. statum
perpetuis gratiæ signis inter medias pluvias & procel-
las solari ac erigere. Et proinde sive pulchrum est ejus-
modi Orationes audire; sive Christianum est votis
tam devotis suam devotionem jungere, quâ par est ob-
servantiâ & humanitate rogo, velint omnes, qui suam
benevolentiam erga literarum Studiosos hætenus te-
stati sunt, denuo suam præsentiam ad horæ spatium
nobis indulgere, & vicissim, si quid in viribus nostris
positum est, grati animi Symbolum expectare. P. P.

d. 10. April M D C, LXXIII.

